


06

A

969





HYPERSPISTES ETHICUS  
PRIMUS

*Pro*

VERITATE,

Quæstionibus priorum duo-  
rum capitum libri primi Ethices

CLEMENTIS TIMPLERI,  
DEO

Docente & Ducente,

*Sub moderamine*

*Clarissimi & Excellentissimi Philosophi*

Dn. IACOBI MARTINI,

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

*In celeberrima Vitebergensi Academia ad publi-  
cam disputationem propositus & oppositus*

CHRISTIANO GUEINZIO

Gubnâ-Lusato.

*Habebitur 4. Calend. Januarias, in auditorio majori  
horis matutinis.*

VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.

A P U D  
Reverendum, Clarissimum

& Excellentissimum Virum,  
Dn. BALTHASAREM MEISNERVM  
S.S. Theologiae D. & ejusdem Professore  
in alma Leucori Publicum;

Reverendum, Doctissimum, & Humanissi-  
mum virum

D. M. PAVLVM TRESCOVIVM ECCLE-  
siae Luccanae, Ephorum vigilantissimum;

Præstantissimum & prudentissimum virum

Dn. DAVIDEM DREISIGMARG, ILLV-  
strissimo & Generosissimo DN. Dn. Henrico Anselmo  
Libero Baroni à Promniz &c. à Rationibus fidelissimum,  
& Reipubl. Soranae Senatorem Spectatissimum;

Humanissimum & Doctissimum virum

Dn. M. MARTINVM HEINRICI BVDIS-  
sinae Scholæ Correctorem felicissimum;

Ornatissimos & Doctissimos Viros juvenes

Dn. NICOLAUM POMPEIVM Olsnens. Lusat.

Dn. MARTINVM LVTHERVVM Dresd. Misn.

Dn. SAMUELEM HOPNERVM Trept. Pom.

Dn. ALBERTVM VEGENERVM Stet. Pom.

Illos Patronos Præceptores,  
Hos fautores & amicos

In felix novi anni initium  
Observantiae & amoris indicium  
Hoc Academicum exercitium

deponit

Author & Respondens.



06 A 969

ΠΡΟΑΪΛΙΟΝ.

 Retino oraculo & Sybillino folio certius illud, quod Philosophorum Numen & Lumen  
 μεις. Metaph. c. 1. t. 1. scriptum reliquit: πάντες  
 αὐθροῦτοι τῶν εἰδέναι ὀρέγονται Φύσει. Adeo enim  
 verū, ut vel inscīj Cemmerijs tenebris immerfi, & ignorantia  
 aurā afflati etiā nolentes idem appetant & expetant. Quidni  
 & ego? Verū quī bareo. Dum tamē hoc vacillante mentis lin-  
 gulā libro, illud Zenoni Citieo cōsulenti; qua ratione vera sa-  
 pientia compos fieri posset, ex Apollinis tripodē relatum re-  
 sponsum mihi ad tribunal rationis offertur: si nempe mortu-  
 is concolor fieret: Quod cum ille de Antiquitatis studio &  
 studio interpretatus tutissimō itinere, quo anhelārat, per-  
 venit: Idem mihi responsum esse hariolor, ideoq; in eo alla-  
 borō. Hęc quot remora! Hęc quot remores! Inter quas &  
 Clementis Timpleri video. Quibus facilē cōcesserim volita-  
 re per Sylvas: quippe mihi non Vacuna vacivas tot horas  
 spondit retia ut tenderem, & alienas Encbras & Volsgras  
 aucuparer. At ubi impete ruere videbam in Aquilam & ve-  
 ritatem, eas arcere & abigere, ne veritatem conspurcent,  
 eonor cogor. Tu IMM ANVEL, Salvator mundi, huc ades  
 & clemens nostris allabere cœptis. His praefloratis nos exer-  
 cere incipiamus.

CAPITIS PRIMĪ.

Πύσμα I.

An Philosophia practica sit ars? N.

**S**Anè plenè & planè in omnium disci-  
 plinarum frontispicijs Ramunculis ad nauseam usq; in-  
 culcatur & demonstratur errore corruptos & correptos  
 plusquā maximo esse, qui in iisdem definiendis uno collyrio  
 utuntur, & quod dicitur, εἰ καλόποδι πάντα ὑποδέσσει  
 A 2 juxtaq;

ἰuxtaq; cum ignarissimis nil nisi artē crepant, ut vel Choræ-  
bus & Morichus ἐποπον καὶ ἄσοφον esse asseveret: Malunt ta-  
men Hyperi vertiginem, & οἷν παρόντ' ὅξ' πικρὸν quàm ἀ-  
ληθογνώσκειν. Verùm quid tentandum & inceptandū, num  
illiscum delirandum? nil minus. Ergò, cum præconceptæ o-  
pinionis nube obnupti videre haut queant, removeamus de-  
nuò nebulas illas mentis dementis, & quoad fieri potest, veri-  
tatis jubare illustremus. Sic ergò ratiocinio ex hypothesibus  
Timplerianis colligimus.

I. Si Philosophia practica est ars, aut erit interna, aut ex-  
terna: sed neutro modo. Ergò non est ars. Antecedens est  
Timpleri Technol. c. 1. Theor. 1. pag. 1. Assumptum: priore mo-  
do ipse negat. E. de posteriori probandum nobis erit. Sic  
ergo. 1. Sublato genere tolluntur etiam omnes species. Aristo-  
telis 4. top. cap. 1. tex 4. 2. tex. 2. 2. Metaph. c 3. Atqui ars seu  
Systema potest abesse ab omnib. habitibus tanquã speciebus:  
quippe aliàs nullus Philosophus sine libro. At hoc non Philo-  
sophus, sed Clericus in libro qui haud valet ova duo. E. *ars pro-  
ut systema, non potest dici de speciebus.*

II. Illud est falsum & absurdum, ex quo per bonam conse-  
quentiam tale deducitur Clar. Præf. lib. 4. inst. Log. cap. 14.  
pap. 502. Ast ex hoc. E. Nam si ars est in libro, liber secun-  
dum virtutes Ethicas operatur. R. C. Quia omnis accidentis  
ἐνεργητικὴ πρῶτον δευτικὸν per idem operatur. Absurdum.

III. Omnis qualitas denominat suum subjectum quale. A-  
ristoteles lib. Cat. c. 8. Atqui ars non librū sed hominem. Quis  
enim nisi peponem pro corde & fungum pro cerebro habeat  
librum propriè vocaret Ethicum. E. ars non est in libro.

IV. Ipsa definitio vitiosa: quod sic demonstratur. Genus  
& species debent esse ejusdem prædicamenti 6. Top. c. 1. Aristo-  
teles. Sed hic ars est in qualitate: Systema v. in quantitate: De-  
finit enim Timpl. dicto. lo. prob 2. quod fit corpus ex diversis  
partibus coagmentatum. E. definitio vitiosa. 2. Omnis defini-  
tio distinguit, nō confundit: sed hæc omnes habitus tam prin-  
cipes quàm instrumentales, tam intellectivos quàm activos  
confundit. E. 3. Si omnes habitus per artem definiendi. E. &  
ipsa

in ipsa ars. At definitum non potest esse definitionis pars 6. Top.  
c. 1. E. ἀπρασδιόνυσον! Dicimus autem, disciplinas non aliter in  
libris quàm Aristotelem in tabulâ, cujus imago tantùm, sic et-  
jam characteres tantùm sunt ὁμοιώματα τῶν νοημάτων πρὸς ἔρ-  
μη: c. 1. vid. Præ. lib. 1. part. Metaph. sectione. 1. quæst. 2. & pro-  
blem. dis. 1. probl. 2. disput. de εὐδαιμο. 1. Thef. 1. quæst. 6. &  
Reg. lib. 1. disp. Log. probl. 2.

Πύσμα 2.

## An Philosophia practica sit prudentia? A

Cum ambiguitas errori affinis sit, Scal. exer. 148 sect. 4. si-  
ne distinctionis tum veniâ, tum arbitrio nil dicendum erit  
id: exercit 317. sect. 1. Distinguamus ergo & hîc, quia Φρονήσεως  
vocabulum ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων: Sumitur enim vel  
γενικῶς καὶ ἀκέρως pro quavis sagacitate mentis humanæ seu  
pro ingenij acumine & Judicij dexteritate, & omnes habitus  
πρὸς Φερεῖα sua includit ut 18 Metaph. c. 2. Aristoteles σοφίαν  
πρωτῶν φρονήσιν appellat: & sic Socrat: teste Aristotele 5.  
Eth. Nicom. c. ult. statuit omnes virtutes Φρονήσεις & Cic. 1.  
Off. Jurisprudentiam facit prudentiæ partem: Vel εἰδικῶς καὶ  
ἰδίως ut definitur 6. Eth. c. 5. Illo modo posse prudentiam  
Philosophiam practicam nominari nemo inficias ibit, sed de  
eo non quæritur: siquidem Genus improprium. Hoc modo in  
castra affirmantium ingressi Philosophiam practicam esse  
prudentiam contra negantem Timpl. lib. 1. Eth. c. 1. quæst. 2.  
pag. 3. vibramus hastas, 1. Omnis habitus intellectualis prin-  
cipalis est vel θεωρητικός, vel πρακτικός, sed practica Philoso-  
phia non θεωρητικός: quia ἢ τῆς ἀπιστήμης καὶ γνώσεως, ἀλλὰ τῆς  
πράξεως ἕνεκα, 1. Eth. Nic. c. 6. & 10. c. 9. Ergo πρακτικός. Jam  
vel ars vel prudentia: sed non ars: quippe, hæc circa τὰ ποιητὰ,  
illa verò circa τὰ πρακτὰ. 7. Metaphys. c. 7. & 6. Eth. c. 4. Hu-  
jus actiones transeuntes, illius immanentes; Hujus finis opus  
corporeum 6. Eth. c. 4. c. 2. Metaph. c. 1. & 3. de celo c. 7. Illi-  
us γ. Internum, Summum bonum, E. Prudentia, ὅπερ εἶδει δεῖξαι.  
III. Cui

II. Cui competit definitio, eidem & definitum. Atqui Philosophiæ practicæ competit definitio prudentiæ, E & ipsum definitum. Minor probatur: *Φρόνησις ἕξις ἀληθοῦς μετὰ λόγῳ πρακτικῇ περὶ τὰ ἀνθρώπων ἀγαθὰ* 6. Eth. Nic. c. 8. Jam idem objectum sc. *τὰ ἀνθρώπινα* 10. Eth. cap. 9. idem finis *τὸ ἀγαθὸν πρακτικόν* Giphanius lib. 6. Eth. Nic. c. 7. pag. 486. etiam Philosophiæ practicæ.

III. Cui competit Divisio eidem & Divisum. Atqui huic competit divisio prudentiæ, E. & divisum. Subsumptum patet. Est enim prudentia, ex mente Aristotelis 6. Eth. Nic. c. 8. partim unius, partim plurium, quæ vel familiæ vel civitatis Giph. dict. l. pag. 490. sic & Philosophia practica dividitur. Ex dicendis.

IV. Addimus: si Philosophiæ pars *θεωρητικῆ* est sapientia. E. *πρακτικῆ* erit prudentia. Sed antecedens est verum. Vid: Clariss: Dn. Præf. exer. Metaph. l. th. 3. pag 13. E. & consequens. Ratio consequentiæ est, quia tota Philosophia est habitus sapientiæ & prudentiæ constans, Idem ibidem. Et ut sapientia genus analogum est respectu Philosophiæ Theoreticæ & Metaphysicæ, sic & prudentia respectu Philosophiæ practicæ, & Ethicæ &c. Vid. Cl. Dn. Præf. disp. i. de *εὐδαιμο*: Thes. i. quæst. 5. Velst, exer. Eth. disp. i. Concludimus itaq; matè aliter latrari hoc genus, peius refutari à Timptero, dum d. esse obscurum, verum non probat, cum tamen affirmant i incumbat probatio.

Πύσμα 3.

An subjectum Philosophiæ practicæ sit  
ratio & modus probè honesteque  
vivendi? N.

Favoris & benivolentiæ aucupio satis apto aucupatur noster clemens in præfatione scribens, suas opiniones non ex novitate, sed ex rei veritate æstimandas esse: Hac illice allectus & infectus omnia non tam nova, quàm vera ipsius auctoria-

tumabam; non in luco operro, sed in campo aperto inveni-  
enda hariolabar. Verum me hiantē & anhelantem faco & mu-  
coludit: nova video equidem, non vera: Inter quæ & præ-  
sens meritò numeratur. Ergò tendiculas struamus I. In omni  
subjecto operationis debet tum materiale, tum formale esse  
Zabar. lib. 1. de natura Logicæ c. 1. & de tribus præcognitis c. 2.  
Flacius lib. 1. org. c. 6. sed hoc est subjectum operationis Timp.  
lib. 1. Eth. c. 1. quæst 3 pag. 4. E & hic eadem reperientur. At  
ubi? Ego non Lynceus, ut invenire possem.

II. Quicquid est de essentia rei, illud non subjectum tra-  
ctationis ejus. Subjecta enim sunt extra rei essentiam. Atqui  
ratio probè vivendi est de essentia Ethicæ, ipso Clemente teste,  
quia est differentia practicæ Philosophiæ: At differentia est  
de essentia. Porphy. Isag. cap. 3. E. Non est subjectum.

III. Nullum subjectum prædicatur *συναίματος* de eo cu-  
jus est subjectum: At ratio honestè vivendi *συναίματος* prædi-  
catur. E. Non est subjectum.

IV. Finis non est subjectum. Simon Simonius comment.  
Eth. Aristoteles fol. 6 nihil enim ad se ipsum refertur, Picco-  
lomineus in introductione ad civil. Philosoph. c. 3. pag. 6. At  
modus & ratio probè vivendi est finis Timpl. d. 1. quæst. 4. pag.  
5. E. non est subjectum. Quod erat probandum.

Πύσμα 4.

An actiones humanæ bonis moribus informan-  
dæ subjectum Philosophiæ practicæ? A.

Non satis erat propria fingere deliria, sed stringere crenam  
venenatam, in aliena certissima: non alio tamen modo, quam  
dictator negando. Nos sequentibus Catapultis innixi proba-  
mus & affirmamus esse subjectum.

I. Qualis finis, tale objectum: Etenim objecta pariunt  
finium distinctionem Peter. lib. 1. de Philos. c. 3. pag. 10. Et ideo  
dividitur Philosophia ratione objecti 6. Metaph. cap. 1. text. 1.  
Atqui finis est *ἐνδεχόμενον*, *πρακτικόν*, E. & objectum. Sub-  
sumo.

Quicquid

Quicquid potest esse & non esse, illud est ἐνδεχόμενον: & quæcunq; possunt produci, ea sunt πρακτικά.

Atqui actio humana talis est sc: voluntaria. E.

Actio humana est ἐνδεχομένη & per consequens subjectum.

I I. Id, de quo in disciplina quadam traditur propriè & primo, est ejus subjectum. De actionibus agitur primò & propriè, E. Actiones honestæ sunt subjectum. Minor probatur. Illud principale, cujus omnes causæ omniaq; tractantur: Atqui actionum honestarum causæ omnes tractantur in civili Philosophia, ut efficiens virtus, forma honestas, finis summum bonū, subjectum in quo, homo.

III. Quod est subjectum prudentiæ, illud etiam philosophiæ practicæ; sed subjectum prudentiæ sunt τὰ ἀνθρώπινα. E. & Philosophiæ practicæ.

IV. Vin' autoritatem? Interdum enim ab Autorum famâ radiatâ sententiæ radios desumunt suos. Est Averroes in paraph. super Polit. Plat. Javellus proœmio in 10. lib. Eth. Picol. introd. civil. c. 4. pag 9. & ipse Aristoteles in proœm: M. M. & si nullus alius; habeo ὁμοληθῆναι Clar: Dn. Jacob. Mart. disp. dom. Eth. 1. Thes. 21. & 23. disp. εὐδαιμόνοισι Thes. 1. Non tamen simpliciter excludimus hominem; Distinguimus enim inter subjectum quo & subjectū quod: & inter πρῶτον δεκτικὸν & δεύτερον. Quippe actiones hæ non considerantur, ut nudæ actiones, sed ut actiones contingentes quæ à nullo alio, quàm ab homine in hac Sphæra propullulare possunt: Ideoq; dicimus τὰ ἀνθρώπινα ex Aristotele 10. Eth. Nic. c. 9. esse materiale & 6. c. 8. Quorum formale; quatenus bonis moribus informanda.

Πύσμα 5.

An explicare modum probè honesteq; vivendi sit finis adæquatus Philosophiæ practicæ?

Si unquam tuba à turba Philosophorum fuit inflata, certè heic. Quis qui enim quod suæ salivæ & palato bonum, ulti-

maum

ultimum amat, clamat, Varronem 288. opiniones de hoc nume-  
rasse calculo suo Divus August; lib. 19. de C. D. approbat; & Pic-  
col. grad. 9. cap. 4. sed non satis erat, numerum auxit Timplerus  
noster d. l. quaest. 4. pag. 5. Cum autem audeat πολεμῆν χεῖρα  
καὶ Φήμη, audiat & illud ὕς ὑπὸ ῥόταλον; & nos βοηθεῖν χεῖ-  
ρα καὶ Φήμη. Ideoq; ne κρησφύγετον quaerat, obicem ponimus.  
Aut intelligit externum, aut internum: nam hi duo occurrunt in  
operatricibus. Sed non internum: ratio quia dicit primò omnia  
referri ad hunc: secundò quia allatrat sententiam nostram d. l.  
Ergò externum. Contrò quem arietes arietant nostri.

I. Quicquid est alterius gratia, non est finis: sed explicare mo-  
dum probè honesteq; vivendi est alterius gratia, E. non est finis.

II. Subjectum non est finis. εὐδηλον. At benè vivere, juxta  
Timpl. seu explicare modum bene vivendi: Sunt enim Synony-  
ma Timplero d. l. est subjectum quaest. 3. d. l. E. Non finis. Et si  
stolidus solidus se intelligeret ipsum, concederemus ambabus  
manibus finem esse benè vivere τὸ γὰρ ὁ ζῆν καὶ ὁ πράττειν εἶναι  
ἄλλο ἢ τὸ εὐδαιμονεῖν Aristoteles lib. 1. M. M. c. 4. Attamen cum  
explicet per modum explicandi, & simul falsitatis arguat omnium  
Philosophorum sententiam, ipsi nullo modo condonare debe-  
mus. Ne autè sit, sicut arbor sine foliis, ales sine pennis, faber sine  
marculo, lepus sine pedibus, affert rationem: quia *hujus gratia  
inventæ*. Dignum, me Hercle argumentum & ex medicullio Phi-  
losophiæ haustum. Audi! petis turpiter principium: quis, quæ,  
quod concedet Philosophiam practicam esse inventam ut explicet  
modum benè vivendi? Ergo quicumq; explicat, ille habet finem  
& contra quicumq; non explicat, non habet finem. O Clemens  
demens, quæ te dementia cepit, clementiam volui dicere lapsus  
eram. Vos ô magni Heroes, & Doctores & ductores, subite  
pulverem, explicare modum benè vivendi, certè beabimini. Ri-  
sum teneatis amici! Ast vappa ridet, quia aliud videt, *sc. de præce-  
ptis dici*. Verùm vobis mappa. Dic mihi Damæta qui explicant præ-  
cepta? Noster Bibliopola multa habet Systemata, quæ vix plau-  
stris a vehi possent, nullas tamen audit eorum explicationes. Vi-  
den? præcepta tantum instrumentalis quædam causa sunt. Sed  
subtilius restat: *Quia nulla ars habet hunc finem, ergo Philosophia pra-*

B

ctica.

*Etica*. A baculo ad angulum. Pergit hoc videtur innuere Aristoteles dum dicit lib. *Eth. Nic.* c. 2. nō ut cognoscamus quid sit virtus dispicimus, ut sed boni sumus. Certè videtur tibi, *Φάμεται ὅτι καὶ τοῖς ὀρθοῦσι*, Aristot. 1. *Rhet.* c. 2. Tantum abest ut adstruat, quin potius destruat, tuam deliram & miram sententiam. Ubi quæso hic de modō explicandi benè vivendi? Non ardeo tardus sum & bardus.

πῶμα 6.

An felicitas sit summum bonum? A.

Quid ni? caplis rationes.

1. A quo pendet natura & constitutio Philosophiæ practicæ, illud est finis illius: siquidem in definitione ejusdem, differentia sumitur à fine, absque quo nulla esset.

Sed à felicitate pendet natura & constitutio Philosophiæ practicæ.

Ergo felicitas est ejusdem finis.

2. Quodcunque est ultima hominis perfectio, illud est finis: quia finis est perfectio, Scal. Exerc. 354. Atqui felicitas est perfectio: quia per eam intimius copulamur cum Deo Piccol. grad. 9. cap. 12.

E. Felicitas est ultimus finis.

3. Ad quodcunq, omnia referuntur in Philosophia practica, illud est illius finis. Atqui ad felicitatem omnia referuntur. E. Illius finis. Major est definitio finis 2. *Phys.* Aristoteles c. 3. tex. 29. d. *Metaph.* c. 2. & 2. post. cap. 11. tex. 1. Minor patet ex dictis. Et quid multis? per confessionem Adversarii relevamur ab onere probandi Mynsinger sing. observ. Cent. 5. observ. 85. sic inquit Timplerus, Finis ultimus est felicitas terrena & temporalis, qu. 6. pag. 8. Quid ergo intelligebas quum allatrabas nostram sententiam? Baubatus audiamus. I. quia felicitas communis est omnium artium finis. Resp. Ergò & sutoria & fullonia, quia & hæ artes; ferula veritatis castigandus. Putassem Theoreticæ Philosophiæ Theoreticam, practicæ practicam felicitatem finem esse. Sed instat & obstat: hanc distinctionem non mederi huic morbo, quia neque practica practica adequatus finis, sed omnium aliarum artium, præsertim liberalium. En! quam turpiter petis illud quod est in principio, & absurdum.

surdum absurdo tradis. Felicitas practica est finis artium libera-  
lium. E. Theoretica illiberalium erit, sic enim dividis artes.

Verecum de patriâ erasloque sub aere nate. Audi Labyri-  
thum. Quæro quot sint artes liberales, septem, inquit. Musica,  
Phyfica! Arithmetica, &c. E. & harum erit finis felicitas practi-  
ca. E. disciplinarum Theoreticarum finis practicus. Absurdum!  
Hem fatalis inconstantia, inscitia, vel si mavis nequitia, vesti-  
gia ad tribunal rationis revoca! Problemate 4. dicis felicitatem  
practica Philosophia non esse finem, sed potius artium liberali-  
um: Problem. 6. esse finem ultimum Philosophia practica. C. 2.  
intermedium. Initio igitur negas esse finem, secundo fateris, ter-  
tio appellas, sed non ultimum. Ubi te sedentem aliquando inve-  
niamus ostende obsecro. Non enim solum vagaris sed etiam vo-  
las, imò volitas; atque non rectâ sed per anfractus hirundininos  
relegens priores tractus: Non ergo dicam ex Horatio: Dic quo-  
tus esse velis; sed ex Scaligero dic quid esse velis.

πρωτα 7.

An sacra scriptura sit principium Ethices? N.

Postquam evasimus ex sententis: adeamus paulisper hor-  
tos, atque amœnitates sapientum: ut ex earum flosculis animæ  
nostræ coronam victoriae texamus. Principium Ethices esse sa-  
cræ scripturæ affirmat Timpl. quæst. 5. pag. 7. lib. 1. cap. 1. Nos  
contrarium propter sequentia rationum pondera statuimus.

1. Si est principium, erit vel cognoscendi vel essendi. Prin-  
cipium enim est unde aliquid est & cognoscitur Aristotel. 8. Me-  
taph. c. 1. Sed neutrum. E. non est principium, Assumptum per  
partes probatur: 1. Cognoscendi non esse sic colligo. Illa princi-  
pia dicuntur cognoscendi quorum auxilio in rerum notitiam  
pervenimus Cl. Dn. Jac. Mart. lib. 1. part. Metaph. sect. 7. Th. 8.  
Atque per sacram Scripturam non pervenimus ad cognitionem  
Ethices: aliâs sequerentur absurda. 1. Sacram scripturam noscen-  
dam esse prius.

2. Faciliorem esse: quia principia cognitionis *πρωτα ημας* sic  
dicuntur. *α θεολογον!* Et tantum abest ut potius ipse statuas con-  
trarium. Sic enim quæst. 8. inquis, sine cognitione Ethices ne-  
mo feliciter in Theologia versari potest,

3. Sine

3. Sine sacra Scriptura Aristotelem & cæteros Philosophos non cognovisse Ethicam. α Φιλόσοφον. E. erit principium essendi. Quod & facili negotio ex ipsius dictis sic deduco. Quale principium est recta ratio, tale est Sacra Scriptura.

Sed recta ratio est principium essendi. E. Et sacra Scriptura. Copulatum liquet, quia eodem dignitatis gradu recenset.

II. Nec hoc esse principium essendi confirmatur sequentibus. 1. Erit enim vel principium quò, vel quod. At neutrum. E. Esset enim causa principalis & propria & daret influxum ad esse Ethices. Si hoc, Theologia non fuit prior Ethicâ, neque hæc illa: ex eo, quia principium & principiatum simul, Timpl. 3. Metaph. cap. 1. quæst. 6. (vide quî Clar. Præf. sect. 7. d. 1. quæst. 1.) Falsum. Si quò: Aristoteles & reliqui Philosophi quod habuerint sacram Scripturam, concedendum: quippe Ethicam habuisse liquido constat, sed habes absurdum E. & noverunt sacram Scripturam & intellexerunt: quia unum relatum absque altero non potest intelligi Aristot. Cat. c. 7. Plaustrum advehendum cum quadrigis, ut absurda evehantur.

2. Omne principiatum pendet à principio; sed Ethica est principiatum. E. Si hoc vel in essendo vel in causando, vel in conservando; sed nullo modo ut dictum. Hoc certum est, & sacram Scripturam docere, commendare virtutes: At qui, ut Ethica? Minimè gentium: Non enim externam primariò requirit disciplinam, sed potissimum internam Harmoniam: cui nemo mortali-um ex asse satisfacere potest. E. nec virtutibus Ethicis. Non dixerim, Distinguendum igitur inter Ethicam Philosophicam & Ethicam Christianam. Quæ quidem non pugnant, diversa tamen sunt.

III. Omne principiatum essentialiter subalternatur principio: Principia enim subalternati sunt cōclusiones subalternantis Suarez. disp. 1. Metaph. sect. 5. disti. 5. Atqui Philosophia practica non subalternatur Theologiæ sequerentur n. modò tacta absurda. Philosophiam practicam non posse addisci absq; Theologia; Veteres nullam habuisse Philosophiam practicam, quia caruerunt Theologia &c. Vid. Dn. D. Meis. part. 1. sobr. Phil. s. 2. qu. gn. p. 449.

Concludimus igitur sacram Scripturam non esse Philosophiæ practicæ principium ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

πίσμα.

An Aristotelica sit distributio cum in res partes  
dividitur Philosophia practica? D.

Sic Timpl. *Vulgò*, inquit, *praesertim in scholis Aristotelicis tota Phi-*  
*losophia sic dividitur.* Tu credo Aristotelicis divinitus censor datus,  
qui ad ararium referres, quos sine rationibus, sine symbolo,  
sine censu offendisses. Hoc agitis sc: tuq; tuiq; locienni, ut Ari-  
stotelem dictatorem ex Academijs proscribatis, ex manibus Ju-  
venturis excutiatis, ubi futiles & inutiles Labyrinthos frustra æ-  
dificari, quam diu filum Ariadnes suppeditat, experientia didi-  
cistis. En probo ex ipso Aristotele contrarium 10. Eth. Nic. c. 9.  
ubi inquit: τῶ κοινῶ ἀριστήματα λέγονται τε καὶ εἰσὶν. ἔ μὴν ἀλλὰ καὶ  
ένος τινος ἔδεν ἴσως κωλύει καλῶς ἀριμελετηθῆναι. Secundò ex A-  
ristotelicis. Francofurtiani in cursu in 1. Eth. Nic. quaest. 3. sic in-  
quiunt, *non sunt plures modi vivendi arte juvabiles quàm duo, sc. civilis &*  
*domesticus. De civili Politica: de domestico Oeconomica: & de modo vivendi*  
*generali Ethica.* 3. Eustacius antiquissimus Aristotelis interpres  
idem sentit ut patet ex cursu dicto. Distinguas igitur inter di-  
visionem & enumerationem partium. Sunt tres partes ratione  
subdivisionis, non divisionis primæ: & qui dicit tres esse nu-  
mero partes Philosophiæ practicae, non negat is, primo dividi  
posse in generalem & specialem. Adde deniq; Picolomineum  
in introd. ci. phil. c. 8. p. 17. Fortassis hi non Aristotelici, neq; ipse  
Aristoteles, neq; tot moderni & hodierni Philosophi, ex quibus  
unicum nomen, qui mihi pra omnibus Cl. Dn. Jacob. Mart disp.  
*de εὐδαιμ:* 1. Thes. 2. quaest. 2.

C A P. I I.

πύσμα I.

An Ethica sit doctrina? N.

Lamia non nisi foris occulata fertur, domi quavis Tiresia cae-  
rior; sic & Timpl. in rebus alienis tam perspicacem se praebet, in  
domesticis plus quam ollas lippit. Omnes definitiones rejicit &  
& imperfectionis accusat, cum tamen ejus vel absurdissima ab-  
surdior.

B 3.

furdior.

surdior. Quod probandū. Ἐπὶ τῆν αὐτὴν διαίρεσιν δεῖ τὸ γένος τῶν εἰδῶν εἶναι. Aristoteles 4. Top. cap. 1. t. 5. at Ethica & doctrina non sunt in eodem prædicamento. E. Non est verū genus. Minor probatur quia doctrina est actio, & sic in prædicamento actionis: Ethica verò in prædicamento qualitaris.

2. εἰ ἐνδέχεται διπλασιεῖν τὸ εἰρημένον γένος ἢ τῶν διαφορῶν. ἢ γένος ἢ διαφορῶν. Aristoteles 4. Top. c. 2. t. 3. At doctrina explicans modum benè vivendi potest separari ab Ethica. E. non est verum Genus, neque vera differentia.

3. Omnis doctrina fit per scientiam, sicut enim scire est rem per causas demonstrare. Aristoteles lib. 2. post II. t. 11. ita & docere 1. Metaph. Et ut scientia fit ex præcognitis, ita & doctrina Aristoteles lib. 1. post. c. 1. t. 1. & 6. Top. c. 3. 1. Metaph. c. 7. t. 48. Quis autem dicit Ethicam esse scientiam aut doceri per scientiam? siquidem est ἀντικείμενον ἐν προσημμένῳ non esse scientiam Ethicam & per scientiam doceri. Quippe scientia est rerum necessariorum immutabilium. 6. Eth. c. 3. 1. post. c. 4. t. 7. c. 6. t. 15. & 7. t. 21. c. 26. t. 44. 5. Metaph. c. 2. t. 5. Ethica non, sed contingentium. 1. Eth. cap. 3. 2. Eth. cap. 2. 6. Eth. c. 4. & Perer. 1. de Philos. cap. 3. Finis scientiæ est Theoria. 6. Eth. c. 3. Ethicæ περὶ ἀξίῃς. 2. Eth. c. 2. & 10. cap. 1. 1. ad Eude. c. 2. Immo monstrum in Philosophia Ethicam esse scientiam cum Aristæo dicimus polit. part. comm. pag. 28. Crugero disp. 1. pol. thes. 16. & Clarif. Dn. Præl. centuria. 1. disp. 1. Finckio parte 1. Schedial. 37. pag. 235.

Πύσμα 2.

### An Ethica prudentia? A.

Negat Timplerus lib. 1. Ethicæ generalis c. 2. q. 1. pag. 14. Quia hoc genus angustius suo definito. Verum Academicus sum ejus exemplo factus, nō credo nisi rationibus. Malo Philosophis omnibus injuratis credere, quam tibi Deos superos, inferos & mediorum obtestanti. Tantò plus tribuo illis, quibus quatuor aures esse novi, quàm tibi duabus haut aceto lotis prædito. Proba esse angustius: Ego nego sequentibus. Primò: extra omnis dubitationis aleam & alam locam, quod nō sit habitus instrumentalis: Ergo principalis. Sed non Theor. 1 quia dirigit nō τὸ γνωστικόν, sed τὸ ὀρεκτικόν. 2. Non circa τὰ ὄντα sed δέοντα versatur. 3. Non habet τὰ ἀποδεικτικά, sed τὰ ἐνδεχόμενα. 4. Non habet finem θεωρίας ἀληθείας, sed περὶ ἀξίῃς ἀγαθίας. Ergò

Ergò Practicus. Jam non ars ut (quæst. 2.) fuit probatum. Ergò relinquitur quod sit prudētia. Sed audio insusurionem; Genus totius non potest esse genus partis: Atqui prudentia est totius Philosophiæ practicæ genus: Ergò non partis. Respondeo distinguendum esse inter Genus univocum & analogum: De illo major vera, de hoc minimè. Nam ut totum corpus est corpus, sic & rectè manus corpus vocatur, sed non eodem modo. Quod genus & locale vocatur à Fonseca super quint. lib. Metaph. c. 28. q. 1. sect. 1.

Notandum præterea & illud, Ethicam posse considerari dupliciter: 1. *ἡγετικῶς* ut est pars Philosophiæ. Hæc enim quia non est totum essentialē, sed integrale, in partes dividitur non species. Jacob Mart. lib. 6. Instit. Log. pag. 288. Et sic cum Piccolomineo potest definiiri quod sit pars Philosophiæ &c. At respectus iste non attenditur primò in definitionibus disciplinarum: Aliàs enim & Physica, & Mathesis per partem Philosophiæ Theoreticæ essent definiendæ: Quod nullibi factum.

2. *ἀπλωῶς* ut est species habitus intellectualis. Jam ita res definienda uti per naturam est effecta. Atqui partem esse non tam ad essentialē quàm existentiam pertinet rerum: Ergò erit species habitus intellectualis.

Secundò: Si Ethica per prudentiam definiiri nequit, tunc nulla disciplina dabitur, cujus genus esse queat prudentia. Idem enim de Politica, Philosophia practica, & Ethica excipi potest: At hoc absurdum: Ergò relinquitur quod Ethica sit prudentia. Quod concludendum.

*Πύσιμα 3.*

An Ethica rectè distribuatur in

*ὑπερολογίαν & πραξιολογίαν? N.*

Cui multum est piperis etiam oleribus immiscet: Et difficilius est sapienti turgentem in pectore sapientiam premere, quàm Portiæ vivos carbones in ore; Sic & Timopl. præ nimia eruditione piper immiscet subtilitatis divisioni Ethicæ. Verùm ut interdù mucerda pro pipere reperimus, ita, nî fallor & hæc Videbimus, si quid erit, ipsi relinquamus. Nos interim hanc divisionem negamus.

Primò: Quæ divisio non exhaurit totum divisum, illa vitiosa: Aristot.

Arist. 2. post. Anal. t. 24 Zab. lib. 1. de propositionibus necessariis c. 4. Sed hæc non: Ergo vitiosa. Minor: Ubi enim mentio finis? At sine fine disciplina practica nullæ

Secundò. Omnis divisio disciplinae correspondet ordini eius disciplinae: Quia ut res dividitur sic & tractatur, Scal. de Caus. l. lib. 4. c. 26. pag. 264. Sed hæc non correspondet: Ergò vitiosa. Minor probatur: Quia observat ordinem syntheticum, quod probo. Ubi 1. Subjectum, 2. Principia, & 3. Affectiones tractantur, ibi est ordo Syntheticus, Aristoteles 1. post. c. 7. text. 2. Et 8. t. 5. 1. de anima t. 2. 1. de Cælot. 1: Sed hinc tractatur 1. de Subjecto, 2. de Principijs & 3. Affectionibus: Ergò hic est ordo Syntheticus.

Verùm ut redargutione contrariæ rationes demonstrantur, Aristot. lib. 1. Eude. c. 3. & 7. Eth. Nico. c. 2. 1. Metaph. c. 11. & 1. de Cælo c. 10: Sic videamus quid contra opponi, quidque excipi possit: *Etsi*, inquit, *non simpliciter rejicienda divisio in εὐδαιμονολογίαν & δεσπολογίαν*. Convenientior tamen illa, quæ petitur ex subjecto proprio, c. 2. lib. 1. quæst. 2. pag. 15. Resp. Plinius refert mures, alicubi nasci foetos, ut priusquam utero exeant, utero gerere: Sic tu absurditates a deo paris foecundas, ut non prius in lucem prodeant, nisi una tradat alteram. Quis quæso Philosophorum hoc affirmat, divisionem disciplinarum practicarum peti à subjecto? Tibi amplius non credimus. Divisio disciplinae practicæ fit à fine, tuis Keckermannus lyst. Log. p. 3. Ut enim se habet subjectum in Theoreticis, sic se habet finis in practicis, Jac. Mart. Inst. Log. lib. 5. c. 3. pag. 148.

Secundò pergit, quia æquè latè patet ac ipsa Ethica, ita ut neq; eam excedat, neq; ab excedatur. Resp. 1. Assumptum negamus, ut modò tactum de fine, qui non continetur in ista divisione. Respondet: Ubi de causis ibi & de fine, quia finis est causa. At cur non & ibi de actione virtutis, quia simul sunt causæ & effectus, nec alterum sine altero potest esse ex tua hypothese. Distinguo igitur inter ordinem analyticum & syntheticum. In illo enim prius cognoscendum quod sit finis, & quid sit, ne similes a finis, qui triticum ad molas ferunt, sed cujus gratia nesciunt, simus Scal. Exerc. 249. sect. 3. Et

σκοπὸν ἔχοντες μᾶλλον ἂν τυγχάνοιεν  
μὴ τὰ δεόντα. 1. Eth. c. 2.

In hoc non item.

Πύσμα

*An rectè dividatur in εὐδαιμονολογίαν  
& δευτολογίαν. Α.*

Quidnì? Habe-sis rationem: 1. Quia æqualis diviso. Ni-hil enim in tota Ethica, quod ad alterutram harum referri ne-queat, 2. Quia caret omni ambiguitate. 3. Quia membra cum toto consentiunt, inter se verò dissentiunt. Vide Clar. Dn. Præ-sidem disp. 2. de εὐδαιμονολογία. Crugeri horum virtutis quæst. 6. D. Meilner. de summo Bono prol. 2. quæst. 13, pag. 69.

## Πύσμα 5.

*An virtus sit habitus per quem homo promptus  
redditur ad benè honestèq; vivendum? N.*

Sic videtur Timpl. ideoque Aristotelis arrodit & explo-dit definitionem, irrito tamen ausu & nullo applausu: Nam in genere sic arguo. Quando ex positâ definitione contrarij defini-tio non est manifesta, obscura & vitiosa est Clar. Præses libr. 6. Inst. c. 2. pag 342. Sed hæc talis: Ergò est vitiosa, Minorem pro-bo: Quia colligo vitium esse habitum Theoreticum, per quem ho-mo non promptus ad agendum: Contrariorum enim contrariæ definitiones: At hoc falsum; Ergò & definitio falsa. Secundò in specie: Bis aut læpius in definitione vel actu vel potentia, quando quid continetur, definitio est vitiosa: At in hac tale: Er-gò &c. Minor probatur: Quia, promptum esse in agendo, con-tinetur in genere: Omnis enim habitus reddit faciles & hilares ad operandum, D. Jacob. Mart. libr. 1. Inst. log. c. 8. pag 180. Exin-de pergo: Quando in definitione pro differentia genus ponitur, definitio est vitiosa: Idem pag. 381. At in hac id fit: Ergò est viti-osa. Tertiò Quæ differentia competit distinctis speciebus, ea est vitiosa, Quia differentia dividit species: Sed hæc competit di-strictis speciebus: Quia ad honestè vivendum etiam facit virtus intellectualis, ut patebit in sequentibus. Concludimus ergò nullam esse definitionem, quia non explicat τὴν ἁσίαν: Nam ad ἁσίαν duo concurrunt: δύναμις ἢ ἐντελέχεια, quapropter in omni perfecta definitione duo conceptus afferri oportet; Alte-

rum

rum convenientiæ, alterum discrepantiæ. Ille genus, hic differenti-  
tia. Sed hinc posterior abest ut dictum.

Πύσμα 6.

*An virtus sit habitus μετριοτήτος in mediocritate  
existens ad nos relata? A.*

Brevioribus ut agamus lineis, suadet simplicissima veri-  
tas. Sic ergo dicimus: Quæcunque definitio explicat genus  
proximum & differentiam, illa est bona: Sed hæc talis: Ergo  
bona est. Minor probatur: Genus est ἕξις μετριοτήτων, quod &  
ipse admittit: Differentia est μετριοτήτης: quam probamus seque-  
ribus?

1. Si in artibus & earum operibus bonitas & perfectio ex  
mediocritate censetur, multò magis in virtutibus: R. C. Quia  
virtus præstantior arte, utpote stabilior melior qua nemo potest  
abuti, Aristo. 2. Nico. Eth. c. 6. 1. M. M. c. 8. Et 2. ad Eudem. c. 3.

2. Generatio & corruptio sunt contraria: Ergo habent con-  
trarias causas. Pergo: Si habent contrarias causas: Ergo &  
virtus per aliud corrumpitur, & per aliud conservatur. Corrum-  
pitur autem per excessum & defectum. Ergo conservatur per a-  
liud, quod cum aliud non sit quàm medium: Quia omnia extre-  
ma opposita habent medium: Ergo per medium conservatur.

3. Sic arguo: Si in definitione definiti essentia & natura con-  
sideratur, & differentia est contraria differentiæ illius, quod de-  
finito est contrarium, differentia est bona. D. Jacob, Mart. Instit.  
lib. 6. c. 3. pag. 390. Atqui differentia, mediocritas, est contraria  
excessui & defectui: Ergo differentia est bona, & per. Conseq. ro-  
ta definitio, Quia genus & differentia bona, Id quod concluden-  
dum.

Πύσμα 7.

*An virtus sit potentia? N.*

Cum pueris fortean te credis agere, quos larvata aliqua  
Empusâ terrere solemus, Erras. Aristot. illud miraculum naturæ,  
princeps Philosophorum est, cui bellum moves, cui dicam scri-  
bis. Audi! ab ipso ignorantia exortu nihil puerilius excogitari  
potuit, quàm virtutem posse defini per potentiam. En ratione!

In

In omni definitione sumendum est genus proximum. Atqui potentia non est, siquidem potentia quam tu intelligis, tantum terminus & via ad habitum: Ergo non est definitio bona.

1. Major probatur exinde: Quia genera superiora excludunt actu inferiora, sed inferiora includunt actu superiora.

2. Verum genus nunquam tempore prius suâ specie J. M. lib. 6. Instit. Log. s. 4. c. 5. p. 291.

Atqui potentia est prior tempore virtute, E. non est verum genus. Minor: Quia via. Idem d. l. Verum cape rationem ipsius ex quaest. 6. pag. 20. d. l. *Quia omnis habitus est potentia.* Ah helleboro Cerebrum dignum! Cur non qualitas? Quia omnis habitus qualitas. Cur non accidens? Quia & omnis qualitas accidens. Cur non Ens? Quia & hoc. Recipe telum Aristoteles & Nimesi. Cur quaeso statuistis virtutem non esse potentiam? Ast excute primùm tui acuminis myrotheeia & experire primùm quid intellectum velint. Lege & perpende rationes à teipso appositas, aliter judicabis. Condonandum est tamen eorum otio, qui cum seriis negotiis animum advertere nequeant, cum Domitiano muscas configunt, aut cum Laelio & Scipione conchas & umbilicos legunt. Mutasti statum quaestionis, quaesitum fuit, num potentia sit genus virtutis ἀκριβῶς loquendo, Respondes: Posse dici virtutem potentiam. Quis hoc negat?

Πύσμα 8.

*An virtus moralis praestantior virtute  
intellectuali? N.*

Distinguens est proximus veritati Scheck. in Top. Arist. pag. 147. quin & sine distinctionis tùm venia, tùm arbitrio nihil dicendum Scal. exercit. 312. Sect. 1. Ergo ne & nos ex orbita veritatis exorbitemus cum Timpler. quaest. 7. libr. 1. cap. 1. Ethic. simpliciter statuente virtutem moralem praestantiorē esse intellectuāli distinctionis bifidam hastam arripimus & distinguimus inter praestantiam ἀπλῶς consideratam

C 2

&


& σχετικῶς seu inter intrinsecam & extrinsecam. Illō modō  
 intellectualem prastantiozem cum Thom : 2. secundæ quæst.  
 182. Alcin. de doct. Plat. c. 2. Pere : lib. 1. cap. 1. de phil. Aristot. 6.  
 Metaph. c. 1. tex. 2. defendimus; Quia objectum prastantius,  
 καὶ ἀναγκαστῶς. 2. Subjectum, 185. 3. Finis, ἀλήθεια. 4. Sola sui  
 gratia 1. Metaph. tex. 35. absolutè optimus 12. Metaph. tex. 39. Im-  
 mortalitatis datrix. Marsil. Ficin. in 1. Plat. de Rep. Et quid mul-  
 tis? Aristoteles 10. Eth. Nic. c. 7. sic inquit θεωρητικὴ ἡδονὰς θαυ-  
 μασιὰ καὶ μαγιστῆτι καὶ τῷ βεβαίῳ ἔχει ἔργον ἢ ἀνθρώπος ὅτιν ἔ-  
 τω βιώσειν, ἀλλ' ἢ θεῖον ἢ ἐν αὐτῷ ὑπάρχει. Ὅτι δὲ διαφέ-  
 ρει τὸ ἔργον συνδέτῃ ποσῶν, καὶ ἢ ἐνέργεια τῆς καὶ τὴν ἀλλήν δρετὴν.  
 Huic igitur turmæ & nostra vexilla submittimus, 1. Omne de-  
 pendens minus prastans eo à quo dependet. Atqui, virtus mo-  
 ralis dependet ab intellectuali: quia dirigitur ab eâ. Ergo virtus  
 moralis minus prastans intellectuali. Verum quid Timpl. 1. sic  
 argumentatur: *Quicquid reddit hominem per se probum, illud est pra-*  
*stantius, quàm id quod non reddit. Atqui virtus moralis reddit hominem per se*  
*probum. E. prastantior intellectuali.* Resp. Ad majorem esse fallaciam  
 καὶ π, distinguendum enim inter illud, quod ἀπλῶς prastans &  
 quod secundum quid. Hoc quidem concedimus, quod virtus mo-  
 ralis per se efficiat bonos, non tamen inde sequitur, quod sit pra-  
 stantior intellectuali: nam prastantia in accidentibus desumitur  
 primo à subjecto, secundò ab objecto 3. à fine; non ab usu tan-  
 tùm: aliàs & simpliciter prastantius esset cœlum quàm homo:  
 qui usus ejus prastantior, quatenus nimirum causa universalis.  
 Jam autem intellectualis virtus subjecto objecto & fine prastat,  
 E. relinquitur, quod ἀπλῶς sit prastantior. Audiamus & al-  
 terum, *Quodcunq; est laudabile per se, illud est prastantius quàm quod non;*  
*Atqui intellectualis nō est laudabilis per se, sed conjuncta cum virtute mora-*  
*li. E. Virtus intellectualis non tam prastans quam moralis.* Resp. Antiquam  
 cantas Lalagē, & crassam committis ignorationem Elenchi. Mi-  
 norem n. negamus, nam tria sunt bona inquit Aristot. 1. Eth. Nic.  
 c. 12. 4. Eth. Nic. c. 3. & 2. ad Eudemum 1. M. M. c. 2. 1. Τίμια, 2. ἐπαι-  
 νετὰ καὶ ἔδέτερα. Τίμια sunt per se appetibilia; ἐπαινετὰ propter  
 aliud, ἔδέτερα neque per se neque propter aliud. Jam virtus  
 non propter se est, sed propter summum bonum, E. & virtus in-  
 telle-

Intellectualis, quicquid n. tribuitur generi, recte tribuitur omnibus speciebus sub eo contentis.

Tertia ratio nec hili aut pili facienda, concludens à cothurno ad clavam. Sed in quarta maxima urgemur difficultate: quia inquit, intellectuali abuti possumus, morali non item. Resp. Negamus; ratio negationis hæc est, quia quicquid negatur de genere, id etiã de omnibus speciebus. Atqui de virtute in genere negatur, quod ea possumus abuti, E. etiam de speciebus. Per accidens concedo de utraq; Sic optimæ rei pessimus est abusus, Audiam⁹ & quintam. Quo quid durabilius, eo præstantius, atqui virtus moralis est durabilior quàm intellectualis. E. & præstantior. Resp. Major & minor falsa, nonne enim lapides durabiliores hominibus? E. præstantiores? de te concederem, quia sic vis. Minorem quod attinet, probat eam, quia frequentior exercetur, sed negamus: Intellectualis enim semper potest exerceri sine ullo impedimento, atqui non moralis: quia murato objecto, circumstantiis & iis quæ requiruntur ad actionem, cessat & ejus exercitium. Sequitur ultima: Quicquid commune est improbis & probis illud, minus præstans, quàm quod solis probis. Atqui virtus intellectualis communis est probis & improbis, E. min⁹ præstans. Resp. Et major & minor falsa. Quoad majorem, Solis usus communis omnibus. E. Non tam præstans quàm crucis, quæ ferè solis probis. Quoad minorem, negamus illos præditi virtute intellectuali, qui tamen de quibusdam garrire possunt: Litteriones, imò Larvæ literarum efflandæ & exhibilandæ satius quàm tali nomine dignandæ: sed illi quorum intellectus sapientia & prudentia perfectus. Unde non dubitavit Cardanus statuere contemplationem Juventutem producere. Concludo itaq;: Cujus finis præstantior id ipsum præstantius: Atqui virtutis intellectualis finis est præstantior, hæc enim intellectum nostrum plane facit divinum atque cum Deo conjungit Aristot. 10. Eth. Nic. c. 9. Secundo hujus finis sc. intellectualis veritas illius tantum bonum, ac veritas præstantior: nullum enim bonum nisi verum nam quod in intellectu verum id in voluntate 3. de anima Aristot. t. 29. Suarez. disp. 8. Metaph. proæ. Clarif. Præf. lib. 1. part. Sect. 5. Thes. 2.

2. Nic. Eth. c. 6.  
1. M. M. c. 8.  
2. ad Eud. c. 3.

Nos hic figimus pedem. — — — Nam  
Amplius hic tutum non est, mibi crede, morari.  
Heu metuo frigus male tempore puppibus isthoc,  
Dum licet in portum tendamus : nubila clarum  
Reddiderint ubi pulsa diem, revocabit ab alto,  
Nos Tryton scopulo, atq; iterum tentabimus equor.



Ad prestantissimum & humanissimum  
Viro-Juvenem,

**Dn. Christianum Gueinzi-**  
**um, Amicum sibi exoptatissimum,**  
in Ethicis, contra Timplerum publicè  
disputantem.



**I**MPLERUS pingit MORES, pingitq; BEATUM,  
Cedat ARISTOTELES Ethicus! Eimet honos  
Scribere si tantus sapienter lis sit amoris,  
Quantus jam stultè fingere litis amor.  
Scribere TIMPLERVS si convenientia amasset  
Natura, hunc solum solus haberet honos.  
Tu sapiens, GUEINZI, doctè sat scindere nodos,  
Nugis perplexos, dum aggredieris! benè sit!  
Rana loquax, TIMPLER fallax post scrinia dormi.  
Asi tu, mi. GVEINZI, victor honoris ave!  
sic ludeb.

M. Matthias Bruno, Austr.  
VVelsensis.

In Timplerum Philosophastrum

**S**implerum Timplerus agit: Sic scripta loquuntur  
Illius: hac Gueinzi, vera quoque esse probas:  
Timplana Tūm g-plerri sunt dogmata; & organa vulgē  
Ad qua mox geminā rusticus aure stupet.  
Sola legat simplex: facilis mihi saltus ad ista,  
Dicet: Ita applausum calva cohorsq; dedit.  
Ast addas reliquos rationis: & canentes  
Musicolas verā; Timplana proijcies,  
Ergo jaces plectrum Timpleri! Gueinzius hęcce  
Fert, tumuliq; tua, saxa recondit humo.  
Timplerus STimplerum egit: Sic turba Sophorum  
Appingit bustis signa suprema tuis.

Hac pro te Gueinzi,  
fundebat vera probante  
Tuus Candidus  
Martinus Franzius.

**S**epē ferunt: genio poteram volitare per auras  
Me nisi paupertas invida deprimeret.  
Ingeminare soles eadem quoque verba; sed audi,  
Quid Meccenates, quos tibi Jhova dedit?  
Nonne levant Peniam? faciunt (en!) rursus acutas  
Timpleri ut nexus solvere rite queas.  
Quid nunc pauperies, GUEINZI, in Te habet invida Jarris?  
Nil: paupertatem namq; Jhova fugat.  
Ergo quō cœpsti Sophiam lustrato labore:  
Ti cupido et aeternam premia digna dabit.

Abrahamus Guntherus Sag. Sil.

**F I N I S.**

1600

In the year 1600  
The first year of the reign  
of James the first  
King of Great Brittain  
and Ireland  
The first year of the  
reign of King James  
the first  
The first year of the  
reign of King James  
the first

The first year of the  
reign of King James  
the first

The first year of the  
reign of King James  
the first




06 A 969

**ULB Halle** 3  
004 545 044  


10/17







HYPERASPISTES ETHICUS  
PRIMUS  
*Pro*  
VERITATE,  
Quæstionibus priorum duo-  
rum capitum libri primi Ethices  
CLEMENTIS TIMPLERI,  
DEO  
Docente & Ducente,  
*Sub moderamine*  
*Clarissimi & Excellentissimi Philosophi*  
Dn. IACOBI MARTINI,  
Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.  
*In celeberrima Vitebergensi Academia ad publi-  
cam disputationem propositus & oppositus*  
CHRISTIANO GUEINZIO  
Gubnâ-Lufato.  
*Habebitur 4. Calend. Januariæ, in auditorio majori  
horis matutinis.*  
VITEBERGÆ  
Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.